Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26001
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cognovi virtutem de me exisse. Spiritualiter vero Christum tangit qui eum verum dominum credit et recta fide confitetur. At vero pagani, iudei et heretici Christum minime tangunt, quia eum verum dominum credere contempnunt et recta fide eum confiteri nolunt. Unde et Marie que dominum resurrexisse non credebat, sed eum mortuum inter mortuos querebat, volenti dominum tangere dictum est: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Ac si diceret ei: Quia manu fidei me tangere noluisti, manu corporis noli me tangere. Curatio vero demonum non solum per eius presentiam fiebat, sed etiam invocatione eius nominis in eius absentia, sicut discipuli domino gaudentes dicunt: Domine, in nomine tuo etiam demonia subiciuntur nobis. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Et si generaliter dominus omnibus loquebatur, specialiter in discipulos oculos elevavit, quos maioris gratie fecit digniores. Elevatio quippe oculorum domini amplioris misericordie munera significat. Et in discipulos suos oculos levavit, quos specialiter virtutibus ditavit. Iuxta quod alibi legimus, quia cum dixisset ei quidam: Ecce mater tua et fratres tui foris stant querentes loqui tecum, ipse elevatis oculis in discipulos dicebat: Ecce mater mea et fratres mei. Quid autem elevatis oculis dicebat audiamus. Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum dei. Et que tale inter reliquas beatitudines tenere debeat principatum, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cetere virtutes exordium quoddam sumunt. Sicut enim ex una radici arboris multi rami et folia prodeunt, sic spontanea paupertate multe virtutes generantur. Qui enim spontaneam paupertatem amat, erit misericors per largitatem, non tenax per avariciam. Erit consequenter et mitis, quia non divitias querit propter iactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate. Erit enim et pacificus, quia non est occasio rixandi ubi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam et cordis mundiciam, quia sicut illi qui divitias diligunt turbulenti sunt animo, ita qui spontaneam amant paupertatem solliciti sunt que sunt dei, quomodo placeant deo. Sed illud diligenter considerandum est, quia illa paupertas laudabilis est, que aut habere non cupit, aut fortasse si habet propter dominum distribuendo relinquit. Unde ~~matheus~~ evangelista ut hanc paupertatem ad beatitudinem perduceret, cum additamento ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Alii enim sunt pauperes spiritu et rebus. Alii nec rebus nec spiritu. Alii rebus et non spiritu. Alii spiritu et non rebus. Rebus sunt pauperes sed non spiritu, qui nichil habentes multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes et non rebus, sicut sunt illi qui secundum apostolum tamquam nichil habentes et omnia possidentes. Qualis Abraham et Iacob et David, qui regali solio sublimatus pauperem se spiritu demonstrat dicens: Ego autem mendicus sum et pauper. Et iterum: Egens sum ego in laboribus a iuventute mea. Nec rebus nec in spiritu sunt pauperes superbi divites, qui facultatibus locupleti mente quoque sunt tumidi. Et rebus et spiritu sunt pauperes
[illegible] spiritualia dona con

xxxi